



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Vita P. Caroli Spinolæ Societatis Iesv, Pro Christiana Religione In Iaponia Mortvi**

**Spinola, Fabio Ambrogio**

**Antverpiæ, 1630**

Cap. XII. Sæuissimæ cuiusdam persecutionis initium ac progressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46233)

## CAPVT XII.

*Sæuissima cuiusdam persecutionis initium  
ac progressus.*

**E**TIAMSI aduersus Euangelij lucem, iam inde ex quo tempore Iaponibus prælata est à sancto illo Indiarum Apostolo Francisco Xauerio (qui primus omnium anno 1549. Idibus Augusti, ipso Virginis in cælum subuectæ Festo, ad ea loca appulsus est) varijs tēporibus procellæ variæ coortæ sint, quemadmodum narrationibus eorum percepimus, qui illarum insularum historias condiderunt, constatque multorum testimonijs, qui ob defensionem Religionem aut capitibus truncati, aut crucibus fuere affixi; quicumque tamen præsentis temporis furorem cum præteritis asperitatibus conferet, vel inuitus fatebitur, eam, quæ etiamnum sæuit, dum hæc scribo, tempestatem, longè esse præcedentibus omnibus immaniolem; cum ob grauitatem tormentorum, tum ob multitudinem conditionemque Ordinum omnium, cuiuscumque aut sexus aut ætatis, qui vitam profuderunt. Ac quoniam huius persecutionis defæuiente turbine, sanguinem suum Carolus Religioni impendit; vt clariùs intelligatur, ob propagatam fidem, supremo eum supplicio fuisse

fuisse mulctatum; ob propagatam fidem ad-  
uersus publica Imperatoris edicta, ducto à  
capite exordio, persecutionis originem pro-  
gressumque hoc loco memorabo. Annus  
agebatur 1612, quò latè in dies, magnis Chri-  
stianorum accessibus, gliscebatur Religio; per-  
ueneratque in multa centena capitum millia  
numerus Christianorum, administrante rem  
Sacram Antistite quodam, quem è Societate  
nostrâ Pontifex maximus imperio coëgerat  
Apostolicam molestamque regendæ Eccle-  
siæ illius obire procurationem. Excolebant  
Iaponum animos centum & quinquaginta è  
quaternis Ordinibus Religiosi, supra alios  
non paucos Iapones, Sacerdotes sæculares,  
plurimosque Catechistas; nouem è S. Domi-  
nici Religiosâ familiâ; quaternideni è Fran-  
ciscanâ; quaterni ex Ordine S. Augustini; qui,  
quòd à paucis annis in Iaponem aduenissent,  
non vsque adeò multas obtinebant sedes, sed  
in ijs quæ curabant Sacellis, omnium appro-  
batione iuxtâ ac diligentiam, salutem Barbaro-  
rum incumbebant. Numerabantur è Socie-  
tate centum & tres supra viginti; partitis Ia-  
poniâ totâ Collegijs, Seminarijsque ac sedi-  
bus plusquam tricenis; præter Domos toti-  
dem, quas iniquitate superiorum temporum  
deserere fuerant coacti. Is erat huius Ecclesiæ  
status, quando inferi ipsi visi conspirare in  
F exitium

exitium Christianorum (DEI haud dubie patientiâ) vt multorum sanguine irrigata Religiosa sementis, altiores ijs locis ageret radices. Nec inopinatò concussi Iapones, sed cælestibus monstris prodigijsque moniti sunt. Nam atrii coloris cruces, priùs anno vno quàm coorta procella est, duobus in truncis candidarum ficuum, miraculo repertæ, quasi nuntia impendentis iactationis fuere iudicata. Quin, dæmonis ipsius minitationibus prænuntiata tempestas est; qui licet mendacij audiat pater, non rarò tamen, cælesti vi, testari veritatem cogitur. Sacerdos quidam factis execrationum verbis Iaponem expiaturus, infessorem genium iubebat edere nomen, quis esset, quâve causâ hominem inuasisset. Respondit, in Iaponem se venisse ad vexandam Religionem Christianam, sicut fecerat iam multis retrò annis in Angliæ Regno, vnderens erat digressus. Nec longa præcedentes rumores antecessit mora. Dynastæ aliquot Religionis hostes, suspicaci Principis ingenio adrepentes, admonent Daifusamam (ita pater Principis vocabatur, qui hodieque Iaponem regit) videret etiam atque etiam, an securitati suæ satis sit consultum, si gliscere in dies Christianæ legis institutionem in Regno suo sinat. Verosimile non videri, homines prudentes, insigni quæ iudicio præditos (quales sint

sint Europæi) desertis patrijs sedibus, tam vasta emensos maria, tot terrâ marique incommoda tolerare, vt eorum solummodò saluti, lucrandisque inuigilent animis, qui extremis terrarum finibus abditi; nullam ipsi earum rerum habeant curam, aut etiam desiderio teneantur. Relinquebatur igitur conficiendum, Religionem prætexi quidem; reuera autem, Insulas ipsas peti simulatione nouorum Sacrorum; sicut vsu-venisse testari possent Insulæ Philippinæ, aliæque Regiones. Valuit Imperatoris suspitioni accendendæ altera præterea res: nimirum, cum è Nouâ Hispaniâ Legatus in Iaponem aduentaret, Nauarchus eius, ignarus portûs, ne inuehendo fortè discrimen aliquod imprudens adiret, lentè, & quasi explorabundus, nauem in portum subduxit. Non probatum id Regi, cuncta in deterius trahenti. Et onerabat hæc inflabatq; apud Cubum ipsum hæreticus quidam Anglus; qui asserbat, hostilis animi esse, portum marisque altitudinem metiri: non alio signo bella apud Europæos indici solere. Quamquam, quid opus molitiones manifestis argumentis ostendere? quando iam dudum Religiosos homines, ad vulgandam Christi legem, præmisissent; cuius fraudis prouidi nonnulli in Europâ Reges ac Principes, procul eos finibus suis prohibuere. Tantum pondus suspi-

eaci Regis animo impressit ficti exempli species, vt publicè etiam diceret: *Non videor factururus iniuriam, si Euangelij præcones ditibus meis proscripsero, quos Reges Europæi, alijsq; Principes nonnulli, Regionibus suis exclusere.* In hanc ergo sententiam scripsit Michaëli Dynastæ Arimensi, vt Religionem Christianam exturbaret, Patresq; Societatis solum vertere, & terris suis excedere iuberet. Nec satis securum id ratus; antiquatam diu legem denuò edixit: *Ne quis Nobilis, neu miles, in posterum Christianam Religionem profiteretur.* Hoc consilij cœpit, non solum vt Religionem, iudicio suo, ostenderet indignam quam Nobilitas amplecteretur; sed multò etiam magis, quòd abstractis hoc commento in partes suas Nobilibus, militibusq; tutum tam fido præsidio se fore intelligeret aduersus vim exterorum. Exorsus ab Aulæ suæ Proceribus, qui Christianos se professi, in fide perstabant, eorum primùm bona publicauit, deinde etiam in exilium abire iussit, nullo discrimine nobilium feminarum. Amplius, ne exules cuiusquam subsidio fouerentur, eorum nomina per Iaponiam proclamata sunt, deterritis omnibus qui solari fortè eorum calamitatem voluissent. Imperatoris exemplum secuti Toni reliqui, seu Principes tum in Aulâ degentes. Exulum numerus, qui  
primo

primo illo edicto proscripti, nudi solatijs omnibus humanis, sed cælestibus diuites, solum verterunt, peruenit ferè in quadringentos: ipsæque omnibus proluxa Christianorum charitas humanissimè subuenit, contemptis Tyranni minis. Michaël Arimæ Dominus, arrepto deserendæ Religionis mandato, statim scilicet paruit, metu amittendæ dignitatis; ad quam asserendam, violatis coniugij legibus, proneptem ipsius Cubi (etsi vxoratus) recens duxerat domum. Hic, ad vulgandum Imperatoris aduersus Christianos edictum, trium apostatarum operâ est vsus, quorum princeps non ætate quàm sceleribus auctior Ludouicus, primus edixit perseuerantibus in Christianâ fide, bonorum omnium iacturam. Minatus insuper, vt qui vir aut mulier non obedissent, vestibus omnibus spoliati, per summam contumeliam, publicis in foris prostarent nudi, spe omnis libertatis humanique auxilij præcisâ. Denique quisquis Nangasachi hospitio excepisset vnum aliquem proscriptorum, ipse, familiaque eius vniuersa, supplicio multarentur. Tum primùm Arimensi ex oppido, ceu vento, longius dilatatum tyrannidis incendium. Siquidem Omuræ Regulus sanxit, ne quis pro Christiano se proderet; vtque iconum sacrarum simulacra afflicta solo protererentur. In Cuchinose

Cruces omnes, Gubernatoris imperio, terrâ euulsæ sunt. Nihilò mitiores tabulæ propofitæ fuere Terrazanæ, Vfuquij, alijsque in locis: neque tamen eâ pœnarum acerbitate, impiorum odia fatiata sunt, mox innocentium exilia, sanguine quoque fœdata; cùm alij securi subiecti, aliorum viua corpora flammis abolita fuere. Insolens in hunc diem Iaponibus id suppliciorum genus, in Christianos primum exerceri cœptum est die 7. Octobris anno 1613. quo Martyres octo, sexu annisque distincti, vitam pro Christo posuere; nimirum, vt his veluti primitijs, omnis atas de ipfis flammis die vno triumpharet. In his puella extitit, annos nata 20. nomine Magdalena, quæ voti sacramento pudicitiam consecrauerat DEO, vt impressis iam dudum narrationibus publicatum est. Hæc funibus, quibus ad palum alligata fuerat, combustis, ardentior interno scilicet quàm externo illo quo flagrabat incendio, venerabunda candentes carbones, rosarum instar, exosculata, vertici suo imposuit in modum coronæ. Quo tam virili puellæ facinore, insigniq; aliorum Christi pugilum fortitudine, ad eò reliquorum Christianorum, qui ad spectaculum conuenerant, pectora inflammata sunt, vt nullo flammarum horrore per medios irruerint ignes, ad amplectenda pro se quisque mortuorum



tuorum cadauera, partemque aliquam factorum illorum pignorum vindicandam. Qui aderant, infensi Religionis hostes, laudatissimum pietatis exemplum, apud Imperatorem in calumniæ traxere argumentum; lenitumque eius animum, quasi novâ scelerum delatione denuò exasperauere. Videret nempe, quàm perniciofa Regnis esset Christiana gens, quantamque malorum pestem in Rempublicam infunderent, qui Christum, hominem nefarium, inter latrones cruci affixum, pro DEO venerantes, non solum non timerent mortem, aut fortunarum suarum contemnerent publicationem, verum etiam eiusmodi suppliciorum contumelijs se crederent decorari; usque eò, ut etiam Sanctorum instar eos homines veneraretur, qui mortem pro falsâ suâ Religione obire, quàm obedire sanctissimis Imperatorum edictis, maluissent. Addebant onerandæ accusationi, insignem illam inobedientiam foueri in Iaponum animis, incitatione paucorum Religiosorum, qui cum exteri essent, vltimisque mundi finibus exciti, vix patriæ Iaponum linguæ gnari, eorum se Religionibus antiquissimis obijcere; Numina, dæmoniorum nominibus violare; ipsos Numinum cultores, ignaros vecordesque appellare, non vererentur. His verborum facibus, incredibile, quanta Imperatoris ani-

mum inflammauerit ira; decreuit quippe, fe-  
 rendum penitus non esse, vt huiusmodi su-  
 perstitio per Iaponem glisceret, mandauit-  
 que Meacensi Præfecto, in tabulas referret  
 nomina Religiosorum omnium, aliorumque  
 Christianæ fidei administratorum, etiam in-  
 digenarum; quos pellere Regnis omnibus sta-  
 tuerat. Id decretum à Præfecto Patribus, qui  
 Meaci erant, propositum fuit ad 19. Februa-  
 rij anno 1614. additis mandatis, vt intra  
 diem septimum discederent Nangasachum,  
 indeque in patriam quisque suam renauiga-  
 rent. Eadem imperia Fuxinum & Ozacam  
 perlata sunt, vbi cum Societatis hominibus  
 degebant Ordinis S. Francisci Patres. Vfi-  
 quum denique missa mandata, & in Figense  
 Regnum, quibus locis Sacerdotes Ordinum  
 S. Augustini Dominicique degebant. Iam  
 inde à tyrannidis principio, Episcopus preces  
 edixerat in quadraginta horas; ieiunia, verbe-  
 rationesque cōmendauerat Christianis. Quod  
 idem Societatis Religiosis imperauerat Pro-  
 uinciæ Præpositus; vt iunctis scilicet flagitatio-  
 nibus, tam sequam tempestatem DE VM depre-  
 carentur. Acceptis verò nouis discessus nun-  
 tijs, voluntarias cuncti duplicarunt pœnas,  
 neque quidquam prætermisum est consilij,  
 quo iratum Imperatoris animum ab irâ erro-  
 reque auocarent. Sed nimirum ita DEO vi-  
 sum

fum fuit, vt procella illa in præfens sæuaret.  
 Quare instructis primùm Christianorum  
 animis, in quem modum, ad Iudices vocati,  
 responderent; adhibitisque post sacrorum  
 Myfteriorum impertitionem adhortationi-  
 bus, quâ fide DEO effet adharendum, neque  
 de cælesti desperandum ope, coacti fuere om-  
 nes, (paucis, qui clam se abdiderant, occultis)  
 discedere ad 21. dicti mensis diem, communi  
 Christianorum omnium luctu, qui Pastores  
 nempe suos amittebant; flentibus vicissim  
 Patribus, qui filios tot sudoribus partos inuiti  
 deserere cogebantur. Breui post abitum tem-  
 pore, templa omnia disiecta, non minore Bar-  
 barorum gaudio, quàm dolore Christiano-  
 rum. Sexto deinde supra vigesimum Februa-  
 rij diem, edictum huiusmodi Præconis voce  
 Meaci pronuntiatum est: *Quicumque non  
 obnuntiaffet legi Christiana, viuum igni cre-  
 matum iri: Quicumque verò eam Religionem  
 profiteri perseuerasset, is columnam aut palum  
 appareret cui vrendus astringeretur.* Non ti-  
 tubauit tam sæuis minarum commentis agi-  
 tata Christianorum constantia: immò nec  
 contenti carnificinæ suæ instrumenta ex im-  
 perio parasse; ampliùs, pro foribus colum-  
 nam quisque suam in publicum extulere;  
 vt, si qui illac fortè transituri essent tyran-  
 nidis supplicijque administri, intelligerent

scilicet, quibus ædibus habitarent Christiani, quamque ex se promptam haberent vitam eorum arbitrio proijciendam. Interea Nangasachum attigerant Religiosi: quo ex portu cum per inopiam nauium soluere non possent, Imperatoris decreto in proximum Octobrem remanere iussi sunt. Octobri exeunte, post adhibita Christianis firmandis officia, collectis vasis sacræ supellectilis, absumptoque reliquo Eucharistiæ pabulo, discessere vnâ naui Philippinarum Patres Dominicani, Franciscani, & Augustiniani, cum tribus & viginti Religiosis Societatis, alijsque nonnullis Dogicis, seu Catechistis. Duobus alijs nauigijs Macaum versus vecti fuere tres & septuaginta è Societate cum Dogicis aliquot & Seminarij alumnis. Ad septimum aut octauum Nouembris, nauibus quidem abiuere, sed animis ad Iaponem adhærescentibus, sic mœrentes, vt tamen se accommodarent voluntati magni illius Patrisfamilias, qui pro arbitrato operas in vineam suam mittit aut dimittit.

CAPVT